

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**De Lingvae Chaldaicae Vsv In Nominibvs
Praenominibvsqve Vvlgaribvs explicandis**

**Hasse, Johann Gottfried Hasse, Johann Gottfried
Regiomonti, [1798?]**

VD18 1352853X

§. 1. Aditus ad rem.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9826

§. 1.

Aditus ad rem.

Pertractanti mihi ea vocabula, quae vulgo Praenominum Nominumque loco nobis esse solent, et memoria mecum repetenti, unde orta ductaque sint, alia Graeca, alia Latina, pleraque Celto-Gothico-Teutonica, multa Orientalia eaque vel Persica *) vel Hebraica **) vel Syro-Chaldaica esse visa sunt. Quorum quae sunt generis *Chaldaici* (quoniam cetera et facilius patent, et ab aliis explicata sunt, in his autem multa errari, pleraque ignorari video) hoc libelle, quantum per spatii angustiam fieri licet, illustrare institui, ut huius linguae utilitas aliis etiam de caussis dignae, quae discatur, clarius patescat ***).

) (. 2 §. 2.

*) v. g. Ahasverus, Esther, alia, Persica sunt, [Nebucadnezar et alia peregrina in Nomina apud nos non venerunt.]

**) Hebraica sunt: Abel, Abraham, Adam, Anna, Benjamin, Daniel, Elias, Eliezer, Elisa, Ephraim, Eua, Iacob, Immanuel, Isaac, Iochim, Ionathan, Ioseph, Iosias, Judith, Michael, Moses, Rahel, Rebecca, Salomo, Simeon, Zacharias etc. quae tractauerunt Buxtorf de nominibus Hebraicis, Hiller in Onomastico, alii.

***) Chaldaica sunt etiam: Ananias, Barnabas, Bartholomaeus, Lazarus, Zacchaeus, Zebedaeus etc. sed ea vulgo non obuia, quare a nobis h. i. praetereuntur.



Barbara.

Si quis putet, hoc nomen origine graecum aut latinum esse, is vehementer errat. Nam neque fontem in his linguis indicare licet, vnde manauerit, neque apud orientales mature reperiatur, si ita foret. Est vero Chaldaicum a בָּרְבָּרָה cum reduplicatione בָּרְבָּרָה extra (urbem) vel in agro fuit, vnde בָּרָה ager (frumentum) et בָּרְבָּרָה homo agrestis, agriculta, *rusticus*, בָּרְבָּרָה *rustica*. Ex quo intelligitur, hoc nominis rusticis conuenientius esse, quam urbanis *).

[*Balthasarem* volunt esse *Belfazarem* Dan. V, 1. neque ego noui quicquam rectius. Hoc autem nomen non est Syro-Chaldaicum sed peregrinum, quare h. l. praetermittitur. Conf. Schloezer über die Chaldaeer in Repertor. Litterat. Orient. Tom. VIII. p. 176.]

Elisabet.

Hoc nomen Luc. I, 5. 36. 40. obuium et apud nos vulgo usitatum varie poterit explicari;

- a) Vel ab Elisa (אֵלִישָׁא אֱלִישָׁאֵל וְאֵלִישָׁאֵל Reg. III, 1. sqq.) et בִּתְהַדְּרָה domus, quod tamen neque inscriptioni אֱלִישָׁאֵל conuenit, neque quidquam significat, quod tolerari posset.
- b) Vel ab אלְ deity et בֶּשֶׁב in Particip. רַשְׁבָּת habitans, sed et forma repugnat et friget significatio.

* Apud Graecos Latinosque ab hac significatione satis casta recessit vocabulum, atque in eo, ut βαρβάρος sit homo extraneus, peregrinus, hostis (Cic. de Offic. 1, 12.) ferus, crudelis, immanis, omne haesit. Ac Graecos quidem βαρβάρος initio Persas, quippe hostes suos, appellasse, patet ex Thucydide, Xenophonte, (Nepote in Milt. Themist. Pausan.) quos imitati sunt Latini. Sed eiusmodi duritatis *Barbarae* nihil ineft. Significat enim rusticam. Omnim autem rerum (ut Ciceronis de Offic. 1, 32. verbis utar) quibus aliquid adquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil homine libero dignius.